xxx9

cæ ſunt originis, uſu tamen Latij jura conſecuta, retinemus vocem Græcorum & vocitamus *Icterum flavum*.

Sumitur autem Propriè ... cum additione Icterus niger.

III.

Nunc ad Definitionem, qvæ qvò conciſior eò concinnior, & ut *Ariſt. 1. Poſt. c. 7.* vult, Definitio affectum, ſubjectum & cauſam complectatur. Variæ autem apud Autores occurrunt, nobis tamen placet illum ita definire: *Icterus flavus eſt ſymptoma coloris præter naturam totius corporis flavi, à biliosi humoris per univerſum corpus in cutem effuſione, ortum ducens.*

IV.

Cum autem omnis Definitio debeat explicare qvidditatem rei hujus verò fundamentum ſit Genus & Differentia monente *eodem Ariſtotele c. 6. Top. 5. & 6.* meritò definitio noſtra examinanda venit. *Genus* igitur eſt *Symptoma*, & eſt ex eorum genere qvæ in qvalitate mutata conſiſtunt & ſub viſibilibus, i.e. coloribus præter naturam comprehenduntur. vid: *Sennert. Prax. l. 3. Part. 6. ſect. 2. c. 7. de Ictero.* Cum autem viſibiles qualitates mutatæ ſint vel in toto corpore aut certè pleriſq; partibus, vel aliqua ſaltem parte, ideo dicitur color p. n. totius corporis, ad differentiam illorum ſymptomatū, in quibus unius tantûm partis color mutatur, ut in Eryſipelate ſcil. carbunculo, Gangræna &c: Dicitur etiam color flavus, qvo diſtingvitur â Cachexia, ubi color qvidem mutatur, ſed non adeò flavus & citrinus evadit, ſed tantum ex albo palleſcit lividus ac plumbeus fit. *Sennert. lib. 3. Prax. Part. 6. ſect. 2. c. 2. Differentiam* ſuppeditant reliqua verba.

Quidam referunt in symptomata ... excretis, biliosi scil. humoris.

V.

Affectu ſic perſpecto ad ſubjectum ſ. locum affectum progredimur & quidem *ratione Coloris*. Id autem unanimis Doctorum Medicorum conſenſus conſtituit *Cutem totius corporis*, non aliqvam partem ejus; ut album oculorum & Partes quæ circa tempora ſunt; licet in his partibus flavedo hæc ob inſignem eorum albedinem primo & præcipue conſpiciatur *teſte Foreſto. obſ. l. 19. obſ. 51. & Fel. Plater: de Diſcol.: c. 2. Ratione v. Originis* in morbo Regio non ſemper eadem pars idemq; locus affectus eſt *ut Gal. lib. 5. de loc. affect.* fuſius demonſtrat. Interdum enim

Subj: adæquatum

Subjectum Causæ principale

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334502276/6
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG